

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XXXIV. Res Prussorum

urn:nbn:de:bsz:31-102564

Confectaria I.

Hic aevi nondum emendati speciem exemplarqve cernimus, et sectam *Cleri*, et stylum ritumqve dedicandi simul notamus.

II. Maximiliani I. et Leonis X. elogium, titulum, collationisqve ordinem observamus.

III. Mutato sacrorum imperio, et iurisdictione Ecclesiastica, pace religionis suspensa, styli scripturaeqve pragmaticae diversitatem consideramus.

IV. Turcica incurfio cum Diabolica coniungitur et comparatur, non tantum ob periculum belli Turcici, quod a Pomeraniae finibus adhuc remotius erat, sed etiam ideo, quod praetextu collationum Turcicarum Legatus sacrae sedis pecuniam in finitimis tractibus, et praesertim in vicino Septentrione corradebat, *Pomarius in Epitome ad an. 1561.* Vnde *synchronismus* liquet. V. Belgardiae arx, quae extra urbis pomoeria est, cum agro circumiacente, et praefectura est portio insignis Ducatus Sedinensis, et una cum aliis satrapiis atqve urbibus, pace Vestpahlica non detractis et cessis, ditio Brandenburgica continetur. Vtraque situ et pulchro prospectu qui late patet ad fundos et prata, vicinumqve montem, positus Konigsmarckii castris celebratum: nec minorem amoenitatem conciliat Perfante amnis.

V. Assignata est recipiendis collationibus, quae praefecturae Belgardienfi imperantur, *Legestade* vocant.

VI. Posita est sub *lat. 53. 49. et long. 40. 30.*

XXXIV. RES PRUSSORUM.

AVTORES RERVM PRUSSICARVM.

Helmoldus, Nicolaus Ieroschinus, Erasmus Stella, Georgius Ranis, et qui illum sequitur Daubmannus, huncqve iterum saepe Caspar Henneberg. Caspar Schutz, Simon Grunovius, Balthasar Schlubuth, Iohan Freyberg, Henricus Zell, Steinschneiderus, Milfelt, quorum Chronica passim laudantur, inprimis quod effectum est ab Episcopo Paderbornense, vulgo *Hohemeister Chronick*, et Dantiscanum Anonymi cuiusdam, quorum tamen alia mendosa, alia in rebus antiquissimi aevi fabulis immixta.

2. Idem argumentum prosequuntur Albertus Cranzius in Vandal. et qui hunc supplet David Chytraeus.

3. Praeter hos nominandus Iornandes, qui Geticis suis plurima inseruit Slavica, tum Scriptores rerum Sarmaticarum Matthias Michovius, Martinus

Cromerus, et qui hunc ferme in compendium redegerunt Salomon Neugebauer, et Ioachimus Pastorius, cumque iis Herburtus de Folstin, nec non Iacobus Augustus Thuanus, cum digreditur ad origines Germanicas.

4. Historia huius gentis aut turbat interdum, aut hiat. Culpa reicitur in milites Marianos, qui vetustissimos Prussorum annales igni deleverunt: non secus, atque olim Misnensium Thuringorumque facti aliquando abierunt in fumum, restaurandi ex Ioh. Garzone, seu vero potius autore Erasmo Stella, eruditissimo Misnicae antiquitatis scriptore.

5. Summatim historia Prussica vel est fabulosa, quae ducitur a rege VVidovvutho, vel incerta, qualis est ante adventum Cruciferorum: Vel certa et *ἱστορία*, qualis est a tempore Cruciferorum. Huic serviunt Codices Manuscripti, et Chronica doctissimorum Virorum, at nunquam nisi cum delectu, id est, cum iudicio historico et argumentis, sive characteribus illud firmantibus legenda.

PRussi, vetus natio, et pluribus retro seculis inculta, hodie multum ex vita et Moribus mutaverunt.

§. II. Orti sunt ex Slavis, (a) iamque ab ultimo aevo asperi memorantur et feroces.

(a) Haec illa celebris portio Slavorum trans-Viadrum sitorum. Vulgo dixerit Slavos trans-Oderanos, quibus adnumerandi Pomerani, Poloni, Bohemi, Russi, ut indicat autor scholiorum antiquorum in Ad. Bremensem lib. 2. cap. 10. Quae conf. Helmold. l. 1. cap. 15. Sed non omnes Slavoniae partes, nedum simul saltae obnoxiae sunt Imperio Germanorum. De Prussis, opinor, constat, primum Ottoni M. tributum pendere coactos: deinde tertio decimo seculo Ordinis Teutonici imperata fecisse, et una ius accepisse Teutonicae civitatis. Antea quidem, id est, X. Sec. vestigales erant Nostris, sed nunc quoque ditionibus Germaniae accesserant. Ut minime dubitem, Ottonem M. Slavorum felicissimum victorem subegisse Slavos tam cis-quam trans-Oderanos, imprimis Pomeranos et Boiobemos. Eo conf. Ad. Bremens. lib. 2. cap. 2. H. E. et VVitichindus Monachus Annal. 2. De Russis Prussisque sub iugum missis confirmat nos Helmoldus lib. 1. cap. 15. Poloni serius, id est, demum Henrici sancti tempore, redacti sunt ad hanc legem. Vid. Ersing. Chron. lib. 6. cap. 28. Tantummodo hic cavendus lapsus est in historia migrationis Vandalorum et Venedorum, quam accuratius excussit Helmoldus. nec ante cum ignoravit Magister Adamus, ut vocat ipsum Helmoldus.

§. III. Valuerunt nihilominus multis naturae bonis: corporibus robur eximium, ac nulla mollitie fractum, eoque terribile hostibus aequae ac sociis visum: praecipue iis, qui ab Scythia Sarmatiaque impetum effudissent.

§. IV. Sed animi dotes non eadem, nec mite sane ingenium, et bello maxime duratum fuit.

§. V. Laudi tribuam, quod abhorruerunt a luxu, abstinentes iuxta et satagentes suarum rerum: liberales insuper, sed non profusi, et quanto magis modico assueti, tanto minus laborum suorum negligentes. Vita pro captu istius aevi seria, cultus vestium simplex erat, calcei viminibus consuebantur. (b)

(b) *Vid. Helmold. rer. Slav. lib. 1. cap. 1. Cass. Henneberg. in brev. descript. Pruss. p. 5.*

§. VI. Nomen genti propter accolos Russos (c) impositum credunt. Nec desunt vestigia, quae sequantur. Nominasse sufficiat Presbyterum Bozoviensem, cui posteritas debet, quicquid sive ad patriam, sive ad origines pertinet Slavorum.

(c) *Adamus Bremensis lib. 2. cap. 13. H. E. Pruzzos scribit, ed. Velleian. Alb. Abb. Stad. A. 917. Pruciam vocat regionem Prussorum. Helmoldus signat Pruzzos, vicinos ipsorum Ruzos (Lamberto Schafnaburgensi Ruzenos) qui hodie Russi appellantur, insuetis nonnihil ac mutatis, ut docti coniciunt, apicibus ex Slavica loquendi ratione. Prisco illo et certae Historiae Prussicae rationes nondum habente aeo Sarmatarum Henetorumque nomine comprehensos, ne quicquam ambigo: Vid. Iohan. Bugenbag. Dissert. de migrat. sequiori, quod medium dicimus, Slavorum Venedorumque verbo continebantur. Sigebertus Gemblacensis ad A. 977. Brutios tradit, et tradit, credo, per errorem. Si enim assapor esse, Brutios Italiae, converso nomine Calabres, voluit intellectos: Atque id in promptu est evincere vel solo indicio eorum, quae prodidit ad A. 1015, ubi BRVGHVOS nominat, haud dubie denotaturus Prussos. Impeditque se hic adeo iste autor, ut vix expediat, quod intuenti vel ultro innotescet. Marianus Scotus, quem aliqui non semel sequitur Sigebertus, tradit A. 995. Adalbertum in civitate Aprutis tulisse honorem martyris. Quae verba Henricus Bangertus de Prussia interpretatur ad Helmold. lib. 1. cap. 1. Contra index Pistorianus Aprutium Italiae expressit. Adeo tenebrae involverant historiam huius gentis: primus ex abdito eruit Helmoldus, in quo nil desidero, quantum ad commemorationem rerum gestarum, desidero autem saepe merito accuratorem civilium notionum. Sed de utroque infra erit, ut videamus. Verum enim vero alii Prutenos malunt, quos Prussos alii. Eo aegant Prutenum quendam. Sed aut fallor ego, aut isti fabulantur, cum talem quaerunt nominis conditorem. Quanto rectius Casspar Peucerus l. 4. Chron. adstipulatur nobis. In Ressorum, inquit, vicinia Borussi confederunt, etiam ab Oriente profecti, sicut indicat nomen, quod Henetum est, et Colonos Russis contiguos denotat. Ab his Prutenorum, seu Prussorum nomen defluxit. Haec enim Peucerus, plus vero, quam fa-*

XXXIV. RES PRUSSORVM.

mae innixus. Nil adiecerim, nisi quod nomen illud dudum invaluit ante Helmodum, iamque innotuit scriptoribus seculi X. res complexis.

§. VII. Traditur, a Cimbris (d) excultos esse ad mitiores vitae leges. Haud dubie a Saxonibus didicerunt meliores literas, et egregia instituta morum, et ipsam denique Teutonicam linguam.

(d) *Primo omnium Cimbrorum consuetudine emollos, approbat nobis prae-ter alios Rimon Grunavv, et ex eo Casp. Henneberg, in cap. de vet. et insid. Pruss. sed caute et velut candens ferrum attingenda ea historia est, quae ad Cimbrorum ascen- dit. Memorabile hic, quod tradunt, Prussos ante Cimbrorum adventum rudes adeo atque impolitos fuisse, ut quos legendi scribendique peritos vidissent, prope Deorum haberent loco. Deinde magis imbuti instituti que sunt a Saxonibus. Non secus, atque olim Pomerani, de quibus vid. Micrael. lib. 3. Vet. Saxonicae Pom. De his Thuanus. Saxones, inquit, Orientem versus veteres fines egressi, Borussiae et Transylvanos, qui hodie appellantur, Germanice loqui docuerunt. Tanta seu rei temporis, seu consuetudinis aliarum gentium est, aut corrigit animos, aut permulcet. Gratulor vobis, o Prussi, hanc felicissimam conversionem. Ausi literis, exculti legibus estis. Recessistis a veteri asperitate: exuistis barbaricam antiquam.*

§. VIII. Christianorum sacra unde hauserint, non perinde constat: hauserint vero a Polonis, an a nostra gente, diversis studiis certatur. Plerique Boleslao vindicant illam laudem, audentque affirmare, primum hunc fuisse, qui Prussos adduxerit ad Christum.

§. IX. Mihi animus est, procul studio referre de his rebus, ac red- dere autores ex vero, qui Prussos revocarunt ab impio culto, eoque pri- mum sequendi Christianos exemplum prodiderunt.

§. X. Annus agebatur Christi supra nongentesimum septimus et no- nagesimus, (e) quum Prussi Polonos ad iram concitarunt atque ultionem. Erat apud hos quidam nomine Adalberti, (f) vir vita et officio sanctus, qui sive sponte sua, sive, ut fertur, oraculo Dei monitus in Prussiam venit, Chri- sti sacris operaturus. Prussi, ut feroces erant, venienti protinus occurrunt, necem denunciantes, nisi confestim se proriperet ad suos: aiunt insuper, odisse peregrinum sacrum, et detestari eius autorem: facisset igitur quan- tocius, et vitaret probrosam mortem: si vel pertentaret suorum voluntates, sciret, exitium instare. Ita nullum Adelberto, nisi in fuga; vitae servan- dae remedium erat.

(e) *Lambertus Aschafnaburgensis ad A. 997. intrepidi confessoris honorem tulisse indicat. Adalbertus inquit, Episcopus martyrificatur. Marianus Scotus in- nuit A. 995. Sigebertus ad A. 997. perhibet, Adalbertum claruisse apud VVindos, eundemque apud Brutios martyrio affectum. Dubium, Brutios Italsae, an Prussos, alio nomine Pruzzos, et Prucios, designet. Inde est, quod tradit ad A. 1015. Adalbertum apud*

apud Bruchuos capite luisse studium annunciatæ Christianæ religionis. Helmoldus dum Prussorum res literis mandat, fidem facit, ab his passum esse Adalbertum, l. 1. Chr. Slav. cap. 1. et libr. eod. cap. 15. Consentunt ferme omnes Poloniae annales, et tabulae Ecclesiarum Sarmaticarum. Historia in compendium redacta est a Salomone Neugebauero in Bolesl. Chrobri. Caedis patrandaë insinuatōres antistites fuisse et sacrificulos non Christianos, proditum est. Nec id miror, qui sciam ex Helmoldo, tam superstitionis suae tenaces fuisse, ut lucos fontesque suos non passi sint adiri a Christianis: tum etiam quod immanissima suppliciorum exempla statuerint in praecones Christiani cultus.

(f) De Adelberti prænominē multum dissimilitudinē est in scribendo. Ac id haud dubie Slavicae indolis est. Sigebertus VVitech. ad A. 977, Guitech. ad A. 1015. exaravit. Quod argumento est, duos fuisse Adelberti nomine insignes. Aferit Paulus Langius in Chron. Citiz. p. 761. Adalbertum alterum huius nominis Polonorum Prussorumque praeconem fuisse: priorem autem docuisse Rugos, id est, ut arbitror, Sigeberti VVinidos, alias VVinithos, seu VVinulos, quorum prima portio Pomerani. Helmold. l. 1. cap. 2. ut haud abs re credas, prænomen Guitech quadrare ad nostrum Adalbertum. Rerum Slavicarum conditores plerique scribunt Voitechum, alii Vovtichium vocant: innuiturque id in Chronico Langiano edit. Pistorianae, sed non exprimitur. Frater eius Gaudentius ab Aschafnaburgense memoratur.

§. XI. Sed firmo adversus mortem animo Adelbertus, nec formidabat minas, nec deprecabatur poenam. Tanta subiit fiducia animum Viri: aut docere volebat, aut mori.

§. XII. Prussi seu contumeliam, seu contemptum sacrorum suorum interpretati, vim parant. Comprehenditur Adelbertus, et cum fallendo elutari nolisset, constantiam ostendit. Fischhausium (g) vocant locum funestum clade. Sic foedata innocentis supplicio manus, infaustum rebus Prussicis omen fuit.

(g) Multum abit Marianus Scotus, nec Fischhausium vel apice nominat, sed in civitate Aprutis supplicio affectum scribit. Fallit, si Italiae Aprutium intelligit: Si Praustum scripsisset, proprius deflexisset a vero: nunc cum nil tale in Prussia accidisse commemoret, deserendus merito est. Ut mirer, quomodo Bangertus adstruat ex Mariano, Adalbertum in Prussia luisse. Alioqui Fischhausium comprehenditur ambitu Prussiae Ducalis, ut Praustum finibus Prussiae regalis, forte lapide distans Gedano. Sed nos satis habeamus, adduxisse Helmoldum l. 1. cap. 1. qui illustrem extulit haud dubie generis ratione. Nam insignia Bohemici Baronis, auctoritatem Episcopi Pragensis habuit. Paul. Lang. Chron. Citizens. p. 761. Episcopus hic, si quisquam, laudandus, qui et vitam et fortunas suas in religionis amorem impendit, ac longinquis adeo itineribus confectis, plurimum commodi attulit ad res Christianorum:

cumque eodem consilio ivisset ad Prussos, a gente, quam piissimo officio demereri non poterat, probrosae morti est addictus: dignus, qui Scytharum Sarmatarumque communis doctor, et forte, si loqui ita licet, alter Apostolus dicatur. Supplicii, quod superstitio irrogavit viro, persequitur Martinus Boregk, scriptor Bohemicus. Cromerus confossum narrat, l. 3. Pol. Visiturque hodie Pragae sacellum illi sacrum. Hentzner. Itinerar. p. 605.

§. XIII. Aversabantur Poloni facinus, vindicaturi e vestigio, si occasio tulisset. Sed differebatur ultio, sive quod prohiberentur metu potentis populi, sive quod anceps armorum periculum adire sibi viderentur. (h)

(h) Saltem prima haec radix dissidiorum inter utramque gentem; quanquam non multo post aliae lites ex causa dominationis feri coeperunt. Liberrimus caeteroqui hic olim populus, nemini subditus, ac plane sui iuris fuit. Certum habeo, restricta regum Imperia non tulisse, si forte reges tulit. Nam quod de VVidivuto, eiusque posteris narrant, quam obscurum, imo fabulosum est: Ingenue Helmoldus: nulum, inquit, inter se Dominum pati volunt, l. 1. Chron. cap. 1. unde non inepte arguas, statum Reipublicae, aut potius compagis rerumpublicarum ob tam dissiduetiam et vix in unum civile corpus redigenda Prussorum omnium ingenia, fere popularem fuisse, ac duces sibi bellorum magis ascrivisse, quam plena potestate reges. Non abludit Io. Micraelius l. 2. p. 132. et 158. vet. VVend. Pom. Otto I. ipsis tributum imposuit, sed formam Imperii (id enim nusquam lego) non mutavit, ne dum abrogavit. Seqvioribus temporibus Milites Mariani formam principatus induxerunt genti, sed sub auspicio ac supremo Imperii Germanici iure, ut monebitur inferius.

§. XIII. Rerum hoc tempore potiebatur in Polonia Boleslaus Chrobrius, (i) Principis titulo, non regis, (k) isque eius nominis primus, et delictum suae gentis: verbo diceres Poloniae Titum quendam, ac forte Tito aliquid maius. Hic antequam moveret in Prussos, Bohemorum Moravorumque bello distinebatur. Iam Russi obstabant, parati conferre arma, iam Saxones negotium facessabant. Cum utrisque pax coaluit, ut tora belli vis incumberet Pruffis. Eousque festinabat ultio, donec tandem opportuna ulciscendi occasio adferretur.

(i) Chrobri, id est acris, sive excitati animi Princeps, nomine a Russis indito, ut interpretatur Cromerus de reb. Polon. l. 3. p. 40.

(k) Otto Frising. Chr. l. VI, cap. 28. Gottfridus Viterbiensis Chr. part. XVII. ut de Detmaro Merseburgense, aliisque taceam. Recedunt quidem Polonorum annales, sed autores eorum sive studiis obnoxii sunt, sive nimis recentes. Et tamen non veretur Cromerus novos et incertos, illosque saepe nec nomine notos scriptores anteferre veteribus, caeteros vero plerumque carpere sine causa, inprimis Germanos Bohemosque. Cuius vid. exemplum l. 3. de reb. Pol. Idem auspiciatur epocham Poloniae regum a Chrobrio, quod ipsi cum caeteris Polonorum historicis communis est.

est. Sed optem post iam praedictos autores evolvi VVipponem in vita Conradi Sa-
lici, qui tradit Boleslaum, quem vocat, Slavigenam, Ducem Bolanorum (non Boe-
manorum, aut Boiohemorum) aptavisse sibi regium nomen in Chuonradi regis (quip-
pe tunc temporis nondum inaugurati Romanorum Imperatoris) iniuriam contem-
ptumque. Rex ergo non fuit, quia iure non fuit. Namque Polonia ut illo aeco
Germanorum imperatoribus tributaria erat, ita horum auspicio acceptura reges erat,
si vere acciperet, si iure obtineret. Nec tamen diffucor (commodum hoc subit re-
cordari) quandoque Helmoldum abuti significatione earum dictionum, quibus denotan-
tur summae potestates. Sane l. 1. c. 9. Henricum Ottonis M. patrem appellat
Imperatorem, qui a nullo veteris aevi, cuius meminerim, ita appellatus est: *Causa*
in expedito, et intelligentibus rerum civilium nota. Ad hunc, opinor, modum l.
1. c. 15. Chr. Slav. Regem vocat Boleslaum, sed haud dubie non exquisita notione
regis, aut forte per errorem, aut, quod magis suspicari liceat, quod affectasset no-
men regis. De caetero nos inveciae in Poloniam regiae dignitatis epocham consti-
tuimus in Premislao, cuius regnum incidit in A. 1295. Cromerus l. 3. rer. Pol. pag.
41. 42.

§ XV. Cum pugna instrueretur, Deus stabat pro meliori causa: nam
et fusae sunt Prussorum copiae, et pleraeqve ipsorum ditiones venerunt in
hostis potestatem. Tandem his legibus pax coivit, penderent tributum
Prussi, (1) et abstinerent ab innoxiiis confessoribus manum; adhaec praesta-
rent securitatem omnibus, qui docendi causa ad ipsos mitterentur. Haec
prima occasio initiandis Christo Prussis, et egregia auspicio, et vindicatae re-
ligionis dignitate venerabilis fuit.

(1) *Salom. Neugebauer in Bolesl. I. qui ferme Cromeri verba retinet, et scri-
ptores rerum Pruss. passim, Vbi observes, quasdam conditiones aperte tradi, quas-
dam innui, et eventu iudicari, ut illa est de mittendis, qui doceant Christianos
ritus.*

§. XVI. Verum enim vero quando plus ex conatu, tanto minus ex
successu illud consilium habuit, neque iam sola ultio, sed dominatio (m) pa-
rabatur, et saepe speciosior titulus, quam verior quaerebatur, familiari re-
gnantibus exemplo, quum honorem rei divinae usurpant potentiae firma-
mentum.

(m) *Id fere colligo de Boleslao Crivousto, et Principe Casimiro Miecislai senis
fratre, dum mores, acta, destinationes horum inspicio propius et examino. Sed scri-
ptores Polonici ut suis indulgent, ita quaedam emolliunt, de quibus ex factis facile
iudicium ferat intelligens rerum. Omnes enim autotes allegare, aut supra alle-
gatos repetere non licet in hac scribendi festinatione.*

§. XVII. Prussorum ut fortuna, ita animus apparuit: rebus turbatis
quidem praefere aliquid Christiani cultus, mox, dum periculo eximebantur,

XXXIV. RES PRUSSORVM.

abolere iterum (n) coeperunt. Nempe seruari haec gloria Teutonibus, Teutonico certe ordini debuit: quandoquidem bonae leges, melior disciplina, ac instituta passim egregia accepta sunt auspicio nostrae gentis.

(n) *Tempore Boleslai I. nondum recessisse ab impio cultu certum est. Quamquam enim post gestum cum ipsis bellum Doctores ad eos dimiserit, tamen obstinat adhaeserunt sacrificiis Idolorum, quos CRIVE appellabant: Vid. Martinu Cromerus rer. Pol. l. 3. p. 42. Casp. Henneberg. et complures. Boleslao Crispo promiserunt, accessuros ad Christiana sacra, sed non seruarunt, Neugeb. in Bolesl. Crisp. p. 106. Nec sub Casimiro meliorem ingressi viam sunt, obstinatissimi avitae superstitionis defensores, Idem in Casimiro Principe p. 118. Postea Conradus Majorat Dux A. 1222. Lesco a'bo tertium potente rerum, ritu Christiano imbueri cogitavit, instituto ad eam rem peculiari Episcopo. Sed neque id successit: Id. p. 131. Donec Fratrum Teutonicorum opera laboreque frangerentur demum, atque inuarentur Christo.*

§. XVIII. Haeserat ab illo tempore barbaries Pruffis, quam serius exuerunt, nec nisi imperio alieno. (o) Verbis molliri non poterant, et precibus nihil, hortationibus minimum concedebant. Vsque adeo obstabat avita obstinatio, et bellandi amor.

(o) *Sub hoc tempus, quo nondum subacti a Crucigeris, nec condocesalli ab his erant, notatur Prufforum barbaries a Cromer. l. 7. rer. Polon. Neugebauer Hi. Pol. l. 3. aut. T. VII. Hist. Aug. p. 558. Henneb. in descript. Magistr. Teuton. Ordinis. Quod ex codice Episcopi Culmensis Simon Grunauv, et ex eo Casp. Henneberg. referunt, A. DXXIII. a nato Christo Pruffis leges promulgatas esse, id nemo non intelligit, fabulam prae se ferre. Nec temere affirmari potest, a Polonis rationi humanitatis accepisse, atque scriptas leges. Maxime ob immane odium, quo Polonos prosequerentur. Tum vero nunquam invenitur, Polonos sanxisse Pruffis scriptas leges. Si tributum imposuerunt belli iure, non continuo existimandum est, simul tulisse leges. Nam et Otto, ut supra diximus, M. Pruffos vectigales fecit, neque tamen apud ipsos leges Teutonicas instituit, sed iure suo uti permisit. At deo derim, a Polonis ad Pruffos penetrasse leges, (certum enim est, ab his ad illos non transisse,) negabo tamen, iure imperii Pruffis latas, ut qui non Polonorum, sed suo arbitrio imperioque regerentur illo aevo. Ne dicam, Polonos ipsosmet ius suum petisse aliunde, et iudicasse iam olim more Teutonico, quod adeo verum est, ut quoque in disceptatione causarum a tribunali Cracoviensi provocaretur ad tribunal Magdeburgense, quod sustulit Casimirus M. Neugeb. l. 3. p. 205. Casimirus III. deum autor est Pruffiae regiae titulo appellatae. Crom. l. 26. Horn. Hist. Imp. p. 333. Quae ut ab eius tempore cum Polonis coaluit in uniu. Republicae corpus, ita deum legibus illius haud dubie contineri coepit. Vid. David Chytraeus in Boruff. ad An. 1454.*

§. XIX. Itaque armis disceptanda causa erat, vindicandumque insuper, quod admiserant in Conradum Masoviae Ducem. (p) Mirum dictu, quam nil timerent Prussi, seu viribus, seu fortunae confisi. Petebant aliena, (q) periculum adibant ingens, proponebant animo praedas, proponebant ultionem. Mox infundebantur in ditiones Conradi, (r) et nunc damna, nunc clades vicino populo adferebant. Vbiqve vastitatis et direptionum vestigia cernebantur: nec licebat patientia sanare vulnus, ne latius noceret neglectum.

(p) Neugeb. Hist. Pol. l. 3. p. 130. Cbytraeus in Boruff. A. 1220. Accedebant iniuriae in Polonos partim ex causa tributi, quod pendere recusabant, partim ob excursions in Polonorum agrum factas. Vid. Neugeb. Hist. Pol. l. 3. p. 60. p. 106. 118. etc. Titulus ergo belli non a religione, quae nullum iuste bellandi momentum habet, sed ab iniuria, ut intelligitur, sumptus est.

(q) Inducuntur hoc excursions variae irruptionesque in Polonorum fines.

(r) Cromerus rer. Pol. l. 7. Neugeb. l. 3. p. 130. Cbytraeus d. l. annales Polonici passim.

§. XX. Itaque acciti sunt ex Germanis milites, iidem exerciti bello, et durati longo usu. Hi ab ordine, (s) quem profitebantur, Teutonici fratres, a Paeside Ordinis, quam colebant, Mariani, a tessera, qua utebantur, Crucigeri sunt appellati. Ductor, seu caput illorum erat quidam Magister, hoc nomine vocari solitus, ut praerogativae indicio esset, atque supremi in illa societate honoris. Primus eo titulo Hermannus Saltzensis (t) venit in Prusorum regiones, idem auxiliator Conrado, et Prussicae gentis ultor futurus. Facta utrinque pactio A. M CC XXIIIX. partim ut crederet fiducia animis sociorum, partim ut iustitia contineretur bellum.

(s) Sub huius Ordinis initium, quod sibi Palaestina vindicat, Prussia hoc omen habuit. Ventus a septentrione ortus, XII. annis continuus spiravit, afflictissimis Prussorum rebus, et navigiis ferme omnibus cum maximo ipsorum detrimento compurescentibus. Cassp. Henneberg. in Henrico VValpotio. Non pigendae, opinor, operae erit, hoc omen conferre cum isto Tilliano, baud ex flatibus ventorum accepto, quum Hamelae de obsidendo Magdeburgo consilia caperentur. Describit Adolphus Brachelius ad A. 1631.

(t) Vulgo Hermannus de Salza, Crom. l. 7. rer. Pol. Comite VVillebrando ab Oldenborg, eodemque scriptore itineris Orientalis, in Palaestinam profectus. Vid. Hallervord. in VVillebrand. de hist. Lat. Is egregia virtute floruit et singulari pietate, qua non tantum sibi dignitatem, sed Ordini quoque honorem conciliavit, ut apud Fridericum II. Imperatorem ac Pontificem praecipuo loco esset. Henneberg, descript. Magist. Ord. Teut. in Hermannus de Salza. Sub eo primum auspiciis fuit Generalium Ordinis Magistrorum, cum antea sine adiectione atque elogio Ma-

gistri Ordinis Teutonici appellarentur, id est, *Weistey*, non *Hohemeister*. *Vid. Henneb. cit. loc.*

§. XXI. Conditiones erant acquisitissimae, et non modo partium, sed etiam Imperatoris (u) Pontificisque (x) consensu approbatae. Nempe haberent Crucigeri, (y) quod fortuna belli offerret: quicquid occupaturi essent, cederet in praemium laboris, idque retinerent sub fide atque clientela Imperii Germanici, cuius ipsi auspicio militabant. Vnum, si vera quorundam sententia est, tractum Culmensem relinquerent Conrado, nilque eriperent Polonis, ut quorum focii essent atque liberatores. Subigerent saltem Prussos, nil ultra concupiscerent. Id satis ad laudem putarent et refarciendam bellici sumptus iacturam. His legibus coaluit amicitia, et permansit ad longum usque tempus.

(u) *Friderici II. cuius diploma sub auro sigillo Teutonico magno fuit, sive ob gratiam Imperatoris, sive quod denotat Cromerus, ob certitudinem acquirendae possessionis earum rerum, quas bello occupassent. Rer. Pol. l. 7. col. 134. Idem insigniorum aquilae imagine distinxit. Henneb.*

(x) *Gregorii IX. ut consignatum est in MSP. Lubaviensi Teutonice exarato, quod inspexit Cromerus. Vid. l. 7. rer. Pol. Valde enim hic Ordo adolevit sub tutela Pontificum Romanorum, iamque ante Gregorium plurimum illi indulsit Honorius III. haud dubio, quod consilio atque interpositione sua Imperatorem Fridericum et Pontificem sibi insensos reconciliasset. Casp. Henneb. in Herm. Saltacen. Tabulae paetorum Conventorum, ut multa alia, temporis iniuria interciderunt. reliquiae ab historicis servatae. Crom. l. c. Neugeb. H. P. l. 3. p. 133. Tom. VII. Hist. Aug. p. 558.*

(y) *Dissentiant hic scriptores, observante Cbytraeo ad A. 1220. Nec abs re, quod vel liquet exemplo ditionis Culmensis, quam Poloni Conrado ex pacto restitutam fuisse scribunt. Neugeb. l. 3. p. 133. Negant alii, nec ipse difficitur Cromerus, ea privilegio Friderici II. Culmensem terram Ordini Teutonico accessuram fuisse. Cuius pactio formula si etiamnum in promptu esset, facile constaret, utra sententia vinceret? pactio partium, ut plerique volunt, reddendus fuisse tractus Culmensis, annon? Et si id pacto contineretur, an Imperator contra, quam pacto continebatur, singulari iure, atque adeo novo privilegio disponere potuisset? Rediret hic quaestio de Imperatore, utrum illis in locis Iurisdictionem habuisset? An Fridericus II. ex capite tributi ab avo Friderico I. postliminio Polonis impositi vindicare sibi Imperium, illudque eminens ad rescindenda pacta conventa, valido iuris titulo sustinisset? Cromerus certe, scriptor aliqui in suis indulgens, ex obliquo sugillat privilegium Friderici II. perinde ac si diceret, Imperatorem loco a Iurisdictione sua alieno ius dixisse, eoque privilegio illi standum non fuisse.*

§. XXII. Crucigeri, cur evocati essent, memores, nil cunctantur, sed prima quaque occasione descendere in aciem parati, iustum exercitum comparant, (z) et multa vi astuque molientes, in pugnandi sententia perseverant.

(z) *Celebris haec expeditio fuit, ut praeter Polonos Masoviosque plurimi voluntarii confluerent ad Crucigeros adiuvandos. Vid. praeter Prussicos scriptores Polonici, et in compendio Cromerus, qui tradit, nostros in Masovia primum castellum Fogelsangae (rectius Vogel-sangae) nomine appellatum, firmandis haud dubie viribus, et reprimendo hosti aedificasse, nec multo post secunda victoria usos, insignem agri Prussici partem occupasse, missisque eo coloniis excoluisse: (vid. Chytraeus.) eodemque tempore Torunium communivisse: sudibus vero communiverint, an muro incertum. Sane de Gedano, quod paulo serius, atque Torunium, muniri coepit, lego in vetustissimo diplomate haec verba ad A. 1295. Primislaus civitatem Gdanzk plancis muniri procuravit. Vbi plancae dicuntur, quae nobis sudes solo infixae, plurimum, ut per se constat, a muro differentes. Hinc monumentis Gedanensium proditum est, demum A. 1343 civitatem Dantiscanam muro circumdatam esse. Atque haec vera epocha est Urbis Dantiscanae.*

§. XXIII. Nec dum vero in melius mutari Prussorum animi, sed quanto magis res adversae ingruerant, tanto impensius pro libertate nitentur. Habebant Poloni Masoviique, quod agerent: nec ut singuli pares, nec ut universi superiores erant. Grande populo in bellum excito adiumentum Teutones (aa) fuere, nec temere creditum, sine his Prussos non potuisse vinci.

(aa) *Ingenue Cromerus l. 7. affirmat, Teutones Masoviorum et Polonorum defendendorum provinciam suscepisse.*

§. XXIV. Ita eductae sunt Crucigerorum copiae, numero ac virtute insignes, sociorum subsidiis auctae, et magno, si unquam alias, ardore pugnaturae. (bb) Nec moram trahebant Prussi, neque aut metu aut minis deiiciebantur. Manu armisque audendum erat nostris, et si quid secius accideret, consilio cavendum. Optima vincendi ratio haec repraesentabatur, praeliis vexationibusque (cc) tantisper fatigandam esse pugnacissimam gentem, dum imperii patiens fieret, et studiosa partium nostrarum.

(bb) *Ardor ille plurimos excivit praetextu pietatis 'inviso Prussorum nomine peregrinum barbarumque sacrum. Crom. l. 7. rer. Pol. Munsterus in app. Geogr. ad Ptolomaeum. Idemque vel maxime e re Crucigerorum fuit, cum diu ante susciperent expeditionem sacram, de qua vid. Albertus Aqvens. Wilhelmus Tyrius, Gesta Dei per Francos, Sigeb. Gemblac. Helmoldus, WVernerus Rolewinck, qui passagium vocat verbo sequoris arvi.*

(cc) *Vel*

XXXIV. RES PRUSSORVM.

(cc) Vel solo eventu actorumque contextu hoc consilium iudicatur. Nimirum id erat, bellum in hostico alere, et resistentium audaciam refringere ex propinquo. Quod ut consequerentur, igni ferroque omnia vastabant, et hinc a fronte, inde a tergo cum sociis amicisque instabant. Iam vix habebant Prussi, ubi se reciperent in tutum, spes comitatus praecisa erat, optimae agri opes, et inde genti praecipuae facultates, absumerat hostis, praeterea oppida et arces interceperat, eamque bellicisdem constituerat, ubi et servare robur suum, et nocere hosti poterat. Sed haec ex Prussicis pariter et Polonicis scriptoribus facile colliguntur.

§. XXV. Illud hic praecipue dignum admiratione duxerim, Prussos tam exiguo temporis intervallo ad parendi legem redactos, (dd) qui a tot retro seculis per tot casus, et pericula, perque tot mortes ac vulnera libertatem defenderant, prius extrema omnia passuri, quam principem externum, qui et diverso ab se ingenio esset, et dissimili linguae morumque commercio uteretur. Sed parabat novum imperium Deus, et tot hostibus ad arma excitatis omne humanum subsidium auferebat bellicosissimae genti.

(dd) Cromerus l. 7. rer. Pol. ait, parvo tempore magna in illis (Prussorum) incrementa cepisse (Crucigeros) idem verbis iisdem extulit Neug. loc. saep. allegat. Nec dissimulant Prussici annales. Adeo tandem vel ferocissimorum animos mansuetudo subit atque disciplina.

§. XXVI. Vix ad obsequium compositi erant Prussi, cum praegravante finitimorum odio sollicitantur ad repetendam libertatem. Eo operam navabat Pomeraniae Princeps Svantipolcus, (ee) et capessendum bellum acerrime hortabatur. Meminissent, inquit tot aerumnarum, quas hucusque pertulissent: aestimarent impotentem dominatum, qui paucorum licentia exercebatur: Vindicarent adeo veterem gloriam, et pro laude ac salute suae gentis dimicarent, neque finerent per socordiam adolescere, quorum et suspecta fides, et odiosa imperandi cupido esset. Facile assenserunt Prussi, et Svantipolcum Ducem secuti, funesta rebellione paene exitium Crucigeris attulerunt. (ff)

(ee) Svantipolcus domesticis scriptoribus, exteris Svantipolcus signatur. Qui Prussis autem ad res novandas, et excutiendum obsequium fuit. Primo sicut a partibus Ventonum, Casp. Schutz. in Cbr. Boruff. Michael. de Vet. VVend. Pom. Deinde ut Venedorum ingenia sunt, offensus florentibus Teutonum rebus, occultum odium testatus est aperto bello, quanquam in eo excusando totus est Io. Michael. in Cb. Pom. p. 277. seq. moriturus vero animum mutavit, filiique bellum cum Crucigeris gerendum disvasit, Neug. p. 156.

(ff) Cromerus rer. Pol. l. 8. p. 148. l. 9. p. 162. et 172. Neug. l. 3. p. 145. collat. cum p. 155. Addantur Nic. Ieroschin, Milselt, Henneberger, et alii. Vix graviter affirmant, in Prussia Crucigeros adversa fortuna usos, paene deletos fuisse.

se a Prutenis. Ita saepe ab initio quaedam cedunt prospero, quae mox facta rerum commutatione, fortunam adversam habent.

§. XXVII. Sed firmatis iterum rebus, extemplo prosperiori fortuna sublata, quaedam insolentius facere, audaciusque appetere aliena coeperunt, Primo lociorum fines agressti, vel puncto temporis pristinae amicitiae fructum amiserunt. Inde Lithvaniam, quae in ditione Polonorum est, intercepturi, (gg) profundae imperandi ambitionis exemplum praebuerunt. Mox in Pomeraniam facto impetu, tributis exigendis populum maxime debilitarunt, demum foedera aut raro, aut quaestus causa servarunt (hh) hisque rebus omnium odia sibi concitarunt.

(gg) Neugeb. H. P. l. 5. p. 242. et p. 207. Duce Keistuto, ubi nondum Poloniae innixa erat. Chytraeus in Boruss. ad A. 1322. Et refert hic Neugeb. in Casimiro M. Crucigerorum armis omnem paene Poloniam attritam afflictamque fuisse. Initia dominatus Crucigerorum apparuerunt tempore Premislai Regis, Neugeb. H. P. p. 173. 179. Ea aucta sunt tempore Vladislai Lothici, Casimiri et inprimis Vladislai Jagellonis.

(hh) Cromerus l. 12. p. 205. Neugebauer H. P. p. 179. et 189. David Chytraeus cit. loc.

§. XXVIII. Haec dum ita agerent Crucigeri, auderentque Indies plura, Poloni se tandem opprimendos veriti, si conniverent in posterum, ceperunt consilium gerendi belli. (ii) Id cum rescivissent Crucigeri (kk) fama viribusque suis nixi, et praeterea occasioe utendum rati, de hoste quamprimum invadendo consularunt. Sed aliquoties a Polonis fusi, (ll) castrisque exuti, omni spe proferendi dominatus exciderunt, insigni et ad posterorum memoriam transmittendo argumento, Deo curae esse iniurias, esse ultionem.

(ii) Consultationis initium lentum et a moderatione laudandum fuit, Cromerus l. 15. p. 255. Mox subitit fervor, cum Crucigeri pertaesi pacis, violarent pacta, et naves regias Vistula deventas interciperent, l. 16.

(kk) Si sunt duum generum, Prussici et Livonici: quorum hi illis obnoxii, et saepe contra Polonos adiutores fuerunt. Ut non dubitet Cromerus saepe iniquitatis postulare; Neugeb. p. 255. 260. et alibi passim. De Livonicis cons. Salomon Henning, Balbi, Russo. Illud hic addiderim de Prussici, ob controversias cum Polonis a Pontifice diris devotos esse, Crom. rer. Pol. l. 12. p. 206. Et tanta ipsorum iniquitas in Ecclesiasticis memoratur, ut omnium templorum aditu prohiberentur, Id. p. 184. Neque multum semper venerati sunt auctoritatem Pontificum Romanorum, Id. p. 201. Non secus, atque ipsi Poloni aliquando, Crom. l. 25. Quosdam tamen aequiores habuerunt, Id. p. 264. Fuerunt etiam, qui legationes mitterent pro conservando ipsorum iure, inprimis Imperator et Imperii Principes, Cromerus

XXXIV. RES PRUSSORVM.

merus l. 16. p. 267. l. 22. p. 351. et l. 25. p. 387. Extantque diplomata, quibus Rex Poloniae ob Prussiam Imperio subductam in perduellium atque hostium Imperii numero habitus est. Vid. de Lud. Bavaro Conring, de orig. iur. Germ. cap. 31. et Goldast. in Const. Imp.

(11) Non hic obliviscendum Hedvigi Jagelloni nuptiae varicinium ap. Crom. A. 15. p. 255. Primam, eamque insigniorem cladem Crucigeri acciperunt in Svecensi ditione, id. l. 16. p. 266. Nec multo post iterum caesi, ob nimiam fiduciam vincendi, ibid. p. 268. Neque hic attinet referre omnia praetia, quibus succubuerunt Crucigeri. Saltem dicendum est, Vladislaum Jagellonem secisse fundamentum Prussiae Polonis acquirendae, Crom. l. 17. p. 271. confirmasse Casimirum III. qui Magistrum Ordinis atque Crucigeros in fidem ac clientelam recepit, Crom. l. 26. p. 393. 394. Dav. Chytracius in Boruss. ad A. 1452. Bucholz. Ind. Chron. ad A. 1465. perfecisse demum Sigismundum, Bernhardus Vapovius in fragra. p. 592. Aub. Miraeus de stat. rel. l. 1. cap. 49. de Pruss. Hoc enim rege ordo Cruciferorum sublatu, Alberto Marchioni Brand. titulus Ducis reliquae Prussiae, quae nondum ad Polonos desciverat (causas eventusque describit Casp. Schütz. in Chronico) lege beneficiaria concessus est. Ab hoc tempore Sigismundus se scripsit Prussiae Dominum et haeredem, apud Mich. Frydvalle Prussici fisci curatorem in defens. Diplomata super sunt Latine edita, et in Germanicum conversa ad hunc modum, König zu Preußen etc. über Neussen/ Preussen etc. Herr und Erbling. Huiusque supremi Imperii beneficiarii respectu Albertus Marchio eum regem et Dominum appellat in litera 10. Apr. A. 1566. scriptis. Sed solutus nunc ille nexus in solidum est auspicio Frederici VII. Wilhelmi, ad supremi Ducis fastigium evecti per formulam pacti Velavientis quod coaluit inter Poloniae regem regnumque et Electorem 19. Sept. A. 1657. solennis in possessionem parti iuris inauguratio successit 8. Octob. A. 1663. ad quod annum non poenitebit evolvere Diar. Europ. unde et ritus inaugurandi maiestas, et ornamentorum maxima pompa innatescent. Saepe hic stomachum movet vulgus, cum praefecturae Butavv et Lauenburg in Pomerellia sitas, et bodieque beneficiario vinculo innexas non secernit a Prussia, quam vocant, Ducali, cuius habita ratione nemini, praeter Deum, tenetur, iure augustus, potestate supremus saluatur. In quam rem extant tot cusi argentei numi, supremi in Prussos imperii ad posteritatis memoriam duraturi testes. Reperiuntur hic, qui affirmant, Prussiam Ducalem ab Electore postliminio Germaniae acquisitam esse. Cum quibus sentiant Burgoldensis, et commutato nomine Pacificus a Lapide, ille Not. Imp. part. 1. p. 170. hic in Dionzamb. p. 51. Iob. VVolf. Textor. tr. Iur. publ. cap. 19. ea opinione est, ut scribat, huiusmodi acquirentes adigi lege posse, quo ditiones olim imperii beneficiarias rursus imperio offerant, vinculo beneficiario innectendas. Prussiam ea conditione fuisse, evincas ex Io. Sleid. Iac. Aug. Thuanus, R. I. A. 1500. atque ex ipsismet scriptoribus Polonicarum rerum. Sed dicant id et defendant, qui volent: mibi

mibi satis est, patris conventis longe aliam legem a rege et regno Poloniae dictam esse. Nempe haberet sibi Elector Prussiam Ducalem separatae civitatis iure, et adeo non Germaniae innecteret, ut quoque maribus liberis haeredibusque eius in universum extinguis rediret in reipublicae Polonicae corpus. Cuius legis dicendae potestatem, et varios usucapionis bellique titulos in praesens eruere nec licet, neque vacat. Tantummodo conf. Miltz, de omn. lib. cap. 10.

XXXV. ANNOT. AD RES PRUSSOR.

Prussiam, antequam hoc nomine cognita est, diversae gentes incoluerunt, sed quae primas sedes ibi habuerint, non perinde in expedito est affirmare. Ego certum habeo, non Herulos, quod ex V Volfigango Lazio et Matthia Strykio quidam referunt, sed Svevos illic principio confedis. (a)

(a) Iohannes Boemus mor. et leg. gent. l. 3. cap. 16. tradit auctore Sabellico, Svevos in Livonia et Prussia sedes tenuisse, quamquam autem in hac veteris Scythiae Europaeae parte confederunt, tamen ex Scythia Sarmatica tanquam oborigines non sunt deducendi: non enim possumus eis assentiri, ut qui omnes Europae populos, ita etiam Svevos ex Scythia Sarmatica arcessunt. De Veteris Sveviae amplitudine ac situ vid. Iod. Villib. cap. 16. in Com. Tac. Germ. Prussi nihilominus recte annumerantur genti Scythicae apud Guntherum lib. VI. Helmodum l. 1. cap. 1. Radevicus quoque eos coniungit cum populis Scythicae originis, imo et cum Parthis, quatenus per eos Moscovitae (alii Turci) denotantur, cuiusmodi significatio apud Quilielmum Britonem memoratur, l. 4. Philipp. et eo C. Barch. pag. 277. Nisi tamen Brusci apud Radevicum sint, qui Ptolomaeo memorati, coluerunt Riphaeos montes.

§. II. Cum vero eam destituerent Svevi, ac relinquerent vacuam, (b) successere Venedi ab Sarmatis profecti, et cultu, qualis eius gentis erat, adornatam, commercii amplificaverunt, opportuno regionis situ atque egregia incolarum fortuna, ut naves quam saepissime eo commearent.

(b) Pars antiquissima Sveviae, proprio nomine Aestii dicebantur, qui Prussiae tractum incolebant, et colligendo succino operam dabant, Tacit. de mor. Germ. cap. 45. illi ipsi tamen Aestii origine non fuerunt Svevi, licet veteri Svevia continerentur, quandoquidem nec linguae societate Germanis coniuncti fuerunt, et tantum ritu habituque ipsis similes exciterunt, Tacit. ibid. Michael. l. 1. Chron. Pom. Nec cum illis facimus, qui Gothos illic habitasse docent, quippe qui Germaniam cu-baltianam incoluerunt, ut ex Plinio et Tacito liquet. Isto ipso tamen conveniunt Gothi veteres atque Aestii, quod utriusque commercia floruisse, et hi

quidem argumento succini, quod legebant, haud dubie cum ornatus, tum mercatus causa: illorum negotiationes testatur *Viby* antiquissima civitas, de cuius fato vid. *Strelorius Chron. Gurbiland. p. 170. 171.*

§. III. De antiquis Saxonibus aperte palamque scripsit Adamus Bremensis, (c) omnem diligentiam adhibuisse, ut patefacto ad Prussos aditu, e portu Slesvicensi solverent, atque inde in Prussiam mercatus causa navigarent.

(c) De Prussia qui scripserunt, alias permultos allegavimus, neque hic operae pretium est experiri vires in refellenda ea opinione, quia multi persuadentur, primos Herulos insedisse has terras. Et tamen Albertus *VVituk Koiakovitz* hist. *Lituan. part. 1. l. 1.* ita existimat, et sicuti ex *Strykovii* annalibus historiam, ita ex *VVolfango Lazio* hanc sententiam hausit. Praeterquam enim quod longe post Gothos Suevosque innotuerunt Heruli, diversam ab utrisque originem habuerunt. Vid. post *Iornand. Helmold. Cbr. Slav. l. 1. c. 2.* Itaque recte dissentit *Andreas Althamerus tom. 1. p. 34. apud Sim. Scharidium.* Et propterea, quod Gothos istis olim habitasse censuit *Pb. Cluverius*, antiquae Germaniae partem nuncupavit, *Germ. antiq. l. 1. c. XI.* Prussiae sub hoc nomine primo meminit *Detmarus Mersburgensis l. 6. Chron. p. 176.* post eum *Adamus Bremensis l. 2. Hist. E. c. 13.* item de situ *Daniae et reliq. reg. sept. cap. 208. collat. cap. 227.* ubi eadem significatio est *Semlandiae, quae Prussiae, atque adeo Semborum eadem, quae Prussorum, Aegmen* claudit *Helmoldus, de quo alibi dictum est plus satis.*

(d) Vid. d. cap. 227. et *Helmold. l. 1. cap. 1.* praecipuum commerciorum genus consistebat in permutatione pelium mustelinarum, nam auri argenti que studia non tenebantur, ut proditum est ab *Adamo, qui pretiosos martures (Latine praetiosae martis vocabulum usurpasset) non Prussorum, sed advenarum, qui eam superbis vestibus materiam quaeerebant, opinione vocat.*

§. IV. Sed qui praeterita longius spectant, non dubitant referre, iam diu ante Prussis cum Teutonibus commercia fuisse, nec temere fecerit, qui iis assentiatur, quod Slavorum, ad quos et Prussi pertinent, negotiationes antiquissimae fuerint, et proditae iis monumentis, quibus res actaque Francorum continentur. (e)

(e) Extant sanctiones quaedam, quibus isti sententiae fidem adhibere possunt, capitulare *Caroli M. l. 2. cap. 7. apud Goldast T. 3. p. 156. noviss. edit. Capitulatio Hludovici regis apud Iohannem Aventinum l. 4. Annal. Boi. p. 372. unde eam sumpsit Goldastus, et inseruit Const. imp. T. 1. p. 210. edit. eiusd. quibus nominantur negotiatores Slavorum. Verba capitularis, quod dicitur, haec sunt. De negotiatoribus, qui partibus Sclavorum et Avarorum pergunt, quousque procedere cum suis negotiis debeant, id est, partibus Saxoniae usque ad *Bardenvvich, etc. Ex quibus promptum est colligere, Slavos habuisse commercia**

eum Saxonibus negotiationes. Deinde hinc sequitur, non modo Saxones et Francos, sed etiam Thuringos, Boios atque Alemannos in partem ipsorum commerciorum venisse, quod ibidem indicatur commemoratione Erpbesfurt, Foranbaimo Raginsburg, et similibus. Tum id opportunitas navigationis declarat, siquidem ea ex Pomerania in Prusiam expedita fuit ac prona. Venit in mentem Adamo huius recordari, dum tradit sequentia. Vbi et Rhuni habitant. Ibi ad Semland provinciam, quam possident Pruzzi, navigatur. l. 2. H. E. c. 12. Leges Hludovici, Arnulphi imp. filii, dum Slavos, sive Venedos exhibent, Rugios et Boiobemos, potissimum declarant, sic tamen, ut non protinus excludant reliquos, nec ipsos Prussos, quippe ad quos a Rugiis, quos Rhunos Adamus exprimit, commoda navigatione deferri pariter merces, et avehi ab iisdem potuerunt. Sed vero et hoc minime tacendum arbitrabor, quod Ianus Doufa, qui res Belgicas exploratissimas habuit, Hollandiae nomen deduxerit a Prusis, quod si perinde certum esset, ac dictum est, foret indicium X. seculo celebrati nominis Prussorum, annal. Holl. pag. 246. Sed vero rectius hoc nomen accersitur a Danis. Hornius orb. imp. period. 2. can. 6.

§. V. Haecenus vero ea inter mercatores consuetudo viguit, ut potestas esset commeandi gentibus ad gentes, et permutandi, quae vellent, siquidem usus ita et ipsarum necessitas exigerent: postea Carolingorum aevo leges additae sunt, et promulgatae sanctiones, quibus commodo negotiantium publice cautum provisumque fuit. Demum (f) Ottonum tempore privilegia concessa sunt ampliora, et formulis confirmata, (g) ut certus commerciorum locus esset, et sollemnis conventus mercandi causa, sive id ad utilitatem pertinere videretur, prodito Prussis exemplo, et quo magis invitarentur ad societatem Teutonicae negotiationis.

(f) Francorum, etiam Merovingorum commercia nota habeo, et vectigalia eorum nomine pendi solita fuisse, memoria teneo, quae exhibet diploma Chilperici I. Franco-Merovingorum regis A. 575. Tornacensi Ecclesiae datum: eo minus dubitare debeo de Carolovingiis, quod scribendo persequi nunc non vacat, et per se intelligi ex paulo ante dictis potest.

(g) Originem mercatum solenniorum Io. Gryphiander, atque Io. Iac. Speidelius spec. iurid. pol. p. 841. a Dagoberto repetunt in regno Francorum, apud Saxones primum ab Henrico Aucupe nundinas institutas putant. De neutro id nunc quidem mihi propositum est negare, et libenter concedam de Henrico Teutonicorum rege, atque de hoc tanto magis, quod omnes vires intenderet in gloriam suae gentis amplificandam, VVitichind. a Sax. 1. haud neglecturus commercia, quibus iam Caroli M. aetate Magdeburgensis vicus celebratus fuerat, argumento capitularis Carolini, serius enim atque ab excessu Henrici I. circumdari muro, atque urbibus annumerari coepit: quod indicant Ekkehardus de vit. Notkeri Balbnk cap. 31. VVitich. A. Sax. 2. Abb.

XXXV. ANNOT. AD RES PRUSSOR.

Stad. ad A. 971. Nos autem multis, nec dubiis indiciis cognitum habemus, iure, quod literis mandatum est, prima haec Ottonis M. in Saxonia auspicia fuisse, qui A. 966. mercatum Bremensem instituit, argumento diplomatis, quod post Lindenburgium et Meibomium, viros in historia versatissimos edidit Ioab. Iob. Maderus. Formula est, Ottonem concessisse licentiam construendi mercatum in loco Bremen, quam compositionem retinet Otto III. in diplomate A. 1001: Herluno Episcopo concessio. Stylus aevi hoc contextu noscitur: dedimus ius, fas atque licentiam faciendi, statuendi, atque construendi mercatum: porro et describitur accessione aliorum privilegiorum monetae, telonii, banni. Huc spectant tabulae Henrici III. imp. A. 1062. Adalberto Hamburgensi Archiepiscopo concessae, quibus eidem dedit utendos fruendos mercatus, monetas, telonea. quod documento est, iam antiquissimo tempore hoc ius singulare imperatorum Teutonicorum fuisse.

§. VI. Et eae quidem res officia inter negotiantes erant, nec plura de iis reperi, utcumque inquisivi, et nostra Prussorumque monumenta evolvi. Itaque nunc dabo operam, ut omnes intelligant, antiquam esse hanc rem publicam, et cum de eius initiis quaeritur, habuisse indigenas Principes, (h) quorum imperia postea advenae mutarunt, siquidem Teutones, a quibus Teutonici Ordinis nomen est, bello in Asia haud prospere confecto, reduces in Europam, feliciora arma corripuerunt, et Prussos, in quorum ultionem exciti a Duce Masovio fuerant, in suam Germanicique imperii ditionem redegerunt. (i)

(h) Nam non vana ratione quis existimet, multitudini illius populi, cum qua una fuit civilis consociatio atque communitas Alanorum, ex quibus Lithuanorum habere creduntur, et studio, quod ibi floruit, bellicarum rerum, caput necessarium, fuisse, et declarari more ingenioque Sarmaticae gentis Principum patientis potest, et testimonio approbat Koyalovizius lib. 1. hist. Lituan. p. 13. et 17. qui dum Strijkovium sequitur, una complectitur eius historiae partem, quae ex Cruciferorum monumentis est collecta. Quamquam nec ita certae sunt illius narrationes, ut quum ad ultima Veidevutbi tempora referuntur, procul omni suspitione falsitatis sint. Interim conf. Erasmus Stella de vetustatib. Borussiae l. 2. qui testatur, Alanos Prussosque promiscue habitasse, ac Veidevuthum Prussorum pariter et Alanorum Principem natione Alanum fuisse comprobat. Sed in Alanae gentis antiquitatibus haesitavit admodum Aeneas de Piccolominibus, altius diligentiusque repetitis originos Matthias a Michou de Sarmat. Europ. l. 2. cap. 2. Alb. Crantziiu breviter attingit, Vandal. l. 6. cap. 8. Multo minus accurati sunt eorum commentarii, qui mores atque instituta conditi regum imperii a Veidevutbo deducunt, neque assentior in omnibus Gordiano, Gotbo, cui Stella et Albamerus quaedam accepta ferunt, praesertim quod Hulmigeriam olim dictam esse existimant Prussiam. Cum quibus sentit Chr. Adolph. Thuldenus hist. Europ. ad A. 1655.

(i) F.

(i) *V. Mart. Cromerus*: Salomon Neugebauer, Casp. Henneberger in Chron. Crucif. alias a nobis commemorati sunt, quibus addantur Ioach. Curaeus Annal. Siles. p. 63. Io. Micrael. Chron. Pomer. pag. 273. 276. Aubert. Miracul. flat. rel. Pruss. l. 1. c. 49. Ioh. Gualterius Chr. Eccl. pol. ad A. 1233. nec enim nunc quid addimus de Alb. Crantzio et Dav. Chytraco: Rationes temporum non perinde omnes ineunt, quas nos subducimus hunc ad modum. I. transactio de bello Prussis inferendo cum Conrado Duce Masoviae refertur ad annum 1228. apud Sal. Neugebauer. rer. Pol. l. 3. p. 133. Conf. Cromer. l. 7. Gabriel Bucelinus existimat annum 1217. prima Teutonici Ordinis expeditione contra Prussos insignitum fuisse: rer. German. Chron. descript. ad b. A. El. Reusn. Isag. bist. ad A. eundem. Equidem iam ante annum 1228. ius belli inferendi Prussis consecutus fuerat Ordo Teutonicus, quod praeter imperatoris atque Pontificis concessionem legitime est pactus, in quantum parti laesae auxilium tulit, et propter vindicandum ab iniuria Conradum Masoviae Ducem arma sumsit. Multo minus cum Miraeo A. 1215. nominari debet. Anno autem 1209. in Prussiam missi sunt, qui barbaros docerent verum de Deo sensum, Chron. Lauterberg. ad d. A. Nam quod Adelberti ad eos adventum et coepta multo ante doctrinae coelestis, sed mox a Prussis spreta initia attinet, alibi explanate et in loco diximus. II. itaque istas rationes approbamus, quae retinent annum clc CC XXIII. a Christophoro Manlio congruente acrosticho notatum: quo Hermannus de Salza Magister Ordinis insignia victor primus in Prussiam intulit. Cuius praecclare multis ante seculis meministi Fridericus II. in epistola A. 1247. ad regem Galliae per scripta, et Fratrem Hermannum magistrum domus sanctae Mariae Teutonicorum nuncupat, ac inter fideles suos numerat. Quamquam autem alias fidelis imperii non continuo denotet civem imperii, sed sibi beneficiarii iura saltem contineri aliquem arguat, hic tamen utrumque designat. Huius ratione Albertus Marchio Brandenb. antequam se Poloniae regi in clientelam daret, locum in imperii confessu tenuit, Sleidan. comment. lib. 5. III. Hermannus effigies cernitur in coenobio Leubusensi in Silesia ad Oderam sita: nomen atque titulum vidi scriptum ad hunc modum.

HERMANNVS DE SALZA SACRAE
DOMVS BEATAE MARIAE TEVTONICORVM PRVSSIAE
DEFENSOR MAGISTER XRISTIANORVM
FIDELISSIMVS

ANNO DOMINI MCCXXX.

OB VIRGINIS MARIAE HONOREM.

Alibi haec legi. Hermannus de Salza Ordinis Militiae Teutonicorum Magister primus sacrae domus Vexilla in Prussiam Victor traduxit: annus hoc versu denotatur.

Her-

XXXV. ANNOT. AD RES PRUSSOR.

Her MannVs PrVssos Christi sVb Vota CoegIt.

IV. Nec tamen Cruciferi ita debellare potuerunt Prussos, ut non insurgerent rus-
sus, et Christiana sacra, quae se receperant, amplexuros, reicerent, usque dum hi
ascitis in foedus aliis Principibus, adigerent, ut datis obsidibus promitterent, Chri-
stianam religionem servaturos esse. *Aur. paralip. ad Urspergens, ad A. 1254.*
Sed de auspiciis Cruciferorum Ordinis vid. *Raphael Volaterranus, et libro singulari*
Franciscus Modius: Henricus Bangert. ad Arnold. Lubec. lib. 3. cap. 36. Nam
Cruciferi, qui flagellatores dicuntur, alio pertinent, de quibus est apud *Iacobum*
Mayerum ad A. 1349.

§. VII. Verum Prussia, quae Ducibus paret, anno supra millesimum
quingentesimo, vigesimo quinto, lege beneficiaria pervenit ad Marchiones
Brandenburgicos, inter quos primus fuit Albertus (k) stirpe Zollerana, et si
propaginem huius specto, Onolsbacensi domo ortus, qui novam Ducis Prus-
siae dignitatem ad familiam suam adiunxit.

(k) *Iohannes Sleidanus commentar. lib. 5. Simon Schar dius tom. 4. pag.*
74. Salomon Neugebauer hist. Polon. l. 8. pag. 625. edit. Hanov. quae Francofur-
tensi multum praestat, et longius porrigitur in contextu historiae regum: Martini
Cromerus orat. pro Sigismundo. p. 28. Veniuntque hic duae Alberti transactiones
in conspectum, altera cum rege Sigismundo, altera cum Ordinibus Prussiae, in quan-
tum Duci obnoxiae: illius summam continent dicti scriptores, huius capita exhibet.
Mich. Casp. Lundorp. continuat. Sleid. ad A. 1566. quorum quaedam, praeser-
tim de iure Culmensi, et de immunitatibus Prussorum, repetit Iac. Aug. Thuanus, et
de iis stabilendis in conventu Regiomantano actum fuisse, confirmat ad A. 1582.

§. VIII. Atque hoc demum superiorum bellorum remedium fuit, ut
Prussia, cui haec Germania ius atque leges dederat, eius imperio sub-
traheretur, ac postquam tot iniuriis vexationibusque Polonorum exposita
fuerat, regno Polonico tandem obnoxia redderetur. (l) Nam quum is
Prussiae status esset, ut ab Alberto Magistro, Teutonici Ordinis defendi non
posset, atque eius rei causa Carolus V. ad quem suprema illius iurisdictio
spectabat, de auxilio solicaretur, hic autem aliis bellis distractus, ope in-
digentem destitueret, maluit Albertus Polonis cedere, quam irrita impera-
torii subsidii spe, omnis sui iuris atque ditionis ad se pertinentis iacturam
facere, quippe persuasus, necessitatis id, non fidei mutatae fore exemplum,
siquidem nemo sit, qui non praeoptet se liberari, quam perire sub externo
hoste. Propterea cum Sigismundo I. rege conventum est, ut propter tot
clades, ac belli calamitates finiendas pax instauraretur, et Prussia, in quan-
tum generali magistro Ordinis subiecta erat, in ditionem regni Polonici re-
digeretur, a quo eam lege beneficiaria possidendam acciperet Albertus, ac
iure haereditario innixam ad filios posterosque transmitteret, aut si hi de-
futuri

futuri essent, successio perveniret ad ipsius fratres Casimirum et Iohannem.

(1) Aiebant Poloni, fundum et solum terrae Prussiae intra fines, limites et circulum ditionis regni Poloniae contineri ac concludi, vid. diploma, quod dicitur concordia, anno 1525. April. 9. Cracoviae confectum, apud Iacobum Prilusium tract. de prov. Polon. 2. exaggerabant offensas ratione finium regundorum, et illatas iniurias, ac spreta superiora pacta et violatum iusiurandum fidelitatis a tempore Casimiri praestari solitum, ruptamque pacem perpetuam, anno 1436. inter regem regnumque Poloniae, et Ordinem Marianum initam. V. Literae Sigismundi I. 28. Jul. anno 1520. ad Leonem X. Pontif. perscriptae. Verum neque prior, nec posterior ratio pondus habuit, et primus acquirendi titulus, isque iustissimus belli et transactionis, ac possessio multorum seculorum propugnandae Ordinis Mariani Teutonicorum causae sufficere debuerunt. De iniuriis pares utrinque erant querelae, non iudicio regis Polonici, qui pars disceptans fuit, sed arbitrario terminandae, eo magis, quia non erat in potestate Ordinis pacisci praeter et contra voluntatem eius, cui supremum illius terrae Imperium competebat, quod circa controversiam fuit peius Imperatorem, estque argumento ipsamet Casimiriana transactio, Regiomontum cum caeteris castris atque oppidis, districtibusque omnibus et universis iuribus pleno dominio sub Imperatoris et imperii clientela atque suprema iurisdictione mansisse: Prilus. p. 200. Quod adeo verum est, ut mutato Alberti erga imperium obsequio ac fide, VValtherus Kronbergius in eius locum surrogaretur, et in publicis imperii tabulis subscriberet hoc modo: VValtherus a Kronberg, administrator magni magisterii in Prussia, magister Ordinis Teutonicorum per Germaniam et Galliam (in recess. Teuton. Italiam) vid. post Iob. Sleidan. ad A. 1525. decretum comitor. Spirens. A. 1529. constitution wieder die Wiederteuffer §. 7. R. I. 1530. §. 145. 1532. §. 5. R. I. 1535. eius vice Eberhardus Etzingen, A. 1541. 1542. 1544. rursus eum repraesentavit legatus: eadem subscriptione VVolfgangus conspicitur in R. I. altero A. 1544. et 1545. 1548. 1551. 1555. 1557. 1559. post VVolgangum nomen administratoris magisterii in Prussia subsignavit Georgius 1566. eius loco legatus 1567. 1570. A. 1576. Henricus, et vice Volbrechtus Svalbacensis, ac 1582. Iohannes Achilles Isung, 1592. Maximilianus Archidux, et qui eius vicem gessit Iohannes Eustathius VVesternachius, 1598. A. 1603. nomine ipsius Christophorus Thumb, 1613. iterum VVesternachius, 1641. Iohannes Caspar, 1654. Leopoldus VWilhelmus, eiusque tanquam administratoris Magisterii in Prussia legatus. Quod indicio sit, Prussiam, qua ad ordinis Mariani ditionem pertinuit, nondum ab Imperio Germanico pro derelicta fuisse habitam, nisi Austriae Electori Friderico VWilhelmo A. 1657. supremam in Prussiam ius a rege regnaque Poloniae petenti, ipsimet suam in eo negotio operam navassent, et quia tunc de concordia inter regem Iohannem Casimirum remque publicam Polonicam et praedictum Electorem restituenda age-

batur, omni studio atque interposita per legatum auctoritate effecissent, ut petitionis compos fieret, et consequeretur supremum Prussiae ducatum. Enimvero Baro Lisola, Orator Leopoldi Caesaris, hanc causam enixissime tuendam suscepit, et ut Brandenburgicus firmo atque indubitato pacto talem, neque posthac a rege et republica Polonica dependentem ducis dignitatem obtineret, elaboravit. V. autor Maxim. Gallic. p. 5. item scriptor Polonic. Maxim, et acta, quae dicuntur, praeliminaria transactionis Velaviensis. Quod tamen Imperium non expresse ratum habuit, tamen pro tacito eius consensu adferri argumenta possunt, eo quod neque paciscentes supra eo negotio interpellasset, neque pacto inito, cuius notitia ad omnes pervenerat, contradixisset, neque dissensum quoquomodo ac ulla solemni formula restatum fecisset: quinimo hanc, dum maxime suscipi debuit, causam deseruisset, et voluntatem Caesaris qui ad pacem et pactam istud vehementer tunc inclinabat, tacite approbasset, veterique adeo praetensioni talem in modum renunciaisse non sine causa videri possit. Propterea si prima Alberti transactio tanquam in praedictum imperii facta, iudicio Caroli V. Imp. rescissa est, et quia is in proposito perseveravit, proscriptio imperiali multatus est, apud Sleidanum comment. l. 7. et 8. postea tamen gravibus de causis, et deprecantibus pro eo necessariis mitius haec res tractata est, ac decretum, ut per intercessionem de causa cognosceretur, lib. 26. Ab eo tempore cum se abdicasset imperio Carolus V. conquievit quidem ista controversia, sed eodem modo significatio animi atque voluntatis, quae ad derelicti titulum sufficeret, nondum extabat, quo factum est, ut iuris conservandi causa Valtherus Cronbergus, et qui ei successi sunt, titulo Magistri Ordinis uterentur, neque ab eo unquam abstererent. Verum enim vero praeterquam possit esse dubium, utrum sola illa et praeter alia iuris documenta tituli scriptura ad susinendam praetensionem legitimam ac validam sufficiat, id quoque est in abiguo, an, si manente etiam usu tituli, alia derelinquendi signa appareant, et ita comparata sint, ut praesumptione certiori, quam ea est, quae a solo tituli usu colligitur, innitantur, in lance huius iudicii praepondererent, nec ne? quorum illud quidem videtur esse affirmandum. Nam id nunc non afferam, quod quidam iurisprudentes existimant, imperium esse ex genere earum rerum, quae propter non usum statim perdeant, et si non adsit caput imperantis protinus esse desinant, siquidem id dubium censei possit, nec ita unquam desinitum, ut certi aliquid statuere liceat. Nam iste non usus si a non utendi et non retinendi dominii animo proficiscitur, et per validas praesumptiones ac sufficientes coniecturas intelligitur, non repugnaverim huic sententiae, cum per ratiocinationem a constitutione imperiorum desumptam, et per viam iuris socialis explicatam, omnino ita affirmandum esse videatur. Illud sane in parte huius argumenti extra omnem dubitationem est positum, Magistrum Teutonici ordinis, postquam petenti auxilium non quidem denegatum, sed non in tempore summissum est, se pro eo, qui extra imperii ditionem est, gessisse. Quinimo ianctum anno 1512, de mente Magistri Mariani Ordi-

nis subdubitatum est, imperii ne membrum profiteri se vellet, anno? P. I. 1512. §. 26. Den Hochmeister aus Preussen belangend, ist beträchet, nach dem der Handel begehrtter Hülff an uns und die Ständt mercklich groß ist, auch noch nicht wissend, ob der Hochmeister sich, als ein Glied, zum Reich thun wölle, oder nit, et quae ibi sequantur auxilii, quod flagitaverat, dilationem attinentia. Quamobrem Carolus V. in literis ad Albertum scriptis ita apte decenterque stylum temperat, ut ipsum ad concordiam et ea praestanda, quae praecessores eius regibus Poloniae praestiterunt, exhortetur, quamquam salvo suo et imperii iure, apud Prilusum p. 224. ut ex actis sequiorum temporum doceri potest, constatque alias, tunc saltem fuisse disceptationem de iureiurando, quod ab Alberto recusatum est, quia scia maxime praecessores sui Casimiro regi praestitissent, tamen id fuisse contra pacta superiorum temporum Sleid. lib. 5. et 8. Neque tamen nos dissemur, posteriora pacta futura suis se valida, si, dum ea coalescebant, Imperatoris atque Imperii consensus intervenisset. Esti autem ab initio non fuit legitima, et auctor eius non potest abesse a culpa, tamen quia tacita postea concessione convaluerit, vix licet quod ambigamus. Spectatque eo imprudentia Magistri et totius huius ordinis, qui, cum de Prussia in formam circuli imperii redigenda anno 1512, in comitiis Trevirensibus consultaretur, salutari consilio repugnarunt, et Polonia adeo invadendi se, ac mutandi status sui occasionem dederunt. V. acta Comitiorum Trevirens. ad d. A. Gold. de reg. Bob. lib. 2. c. 16. n. 2. Verum tamen Gedanum et Elbinga olim circuli Saxonici iure continebantur, si maxime provincia ipsa non describeretur in peculiarem circulum. Spreng. Luc. p. 68. Tandem autem est, quod Gedanum et Elbinga Reipublicae Polonicae annumerantur, et Gedanum insuper suffragium habet in Comitibus Polonicis, non secus atque Cracovia et Vilna, apud Piascium Chron. Polon. ad A. 1632. Ex quo intelligitur, praeter Senatores ac ordinem equestrem, dictas Civitates quoque suffragio esse praeditas: sed haec alio pertinent.

§. IX. Alberto, qui primus Ducis titulo acquisivit Prussiam, anno 1525, successit filius Albertus Fridericus, Princeps valetudine et animo imbecillis. Is cum regendo ducatu esset impar, beneficio regis Sigismundi rei publicae ipsi datus est curator agnatus proximus Georgius Fridericus, quo et provideret rationibus infirmi Ducis, et vice eius Ducatum Prussiae administraret, fide prius, quam id munus consequeretur, iureiurando data, si Albertus Fridericus vires et pristinam iudicii facultatem reciperet, ac filios ex Maria Eleonora coniuge susciperet, se sine ulla interposita mora de administratione provinciae decessurum esse. Antequam vero haec fierent, et rex resque publica hoc extremum curandae Prussiae auxilium experirentur, agnati Brandenburgici ad societatem inaugurationis beneficiariae admissi sunt, mea lege, ut siquid Alberto Friderico humanitus eveniret, successio ad ipsos deferretur: praecipue Septemvir Brandenburgicus

in eo operam ponebat, ut et dignitatis suae, et obtinendae successio-
nis causa legati ab se missi vexilla contingerent, atque eo ritu Principum more
institutoque ius in Prussiam sibi et familiae pacifcerentur.

(m) *Quid actum fuerit, cognoscitur ex diplomate inaugurationis, in quo
haec leguntur. Sacra regia maiestas celsitudinem vestram (Albertum Fridericum)
per vexilli traditionem solenni ritu de feudo ducatus Borussiae inve-
nit, ac caeterorum Marchionum Convasallorum (Georgii Friderici Marchio-
nis Anspacensis, Ioachimi Friderici Electoris) oratores ad contactum extremi-
tatis vexilli clementer admittit, etc. Inter convasallos quoque fuit Septemvir
Brandenburgicus Ioachimus Fridericus, quem et denotare voluit Paulus Piascius
Chron. p. 4. dum scribit. Electoris quoque Brandenburgici Legati vexillum
insigne istius fiduciae (qua ditione feudum, licet non satis bene ac convenienter,
indicat,) simul (quasi eodem iure successioem eius spectantes) continge-
bant. Vigore huius pacti beneficiarii Iohannes Sigismundus Georgio Friderico,
Alberti Friderici patrueli et curatore, ac Ioachimo Friderico Septemviro, ad quem ab
excessu Georgii Friderici munus curatoris delatum est, mortuis, Prussiae ducatum an-
no c. l. l. c. XI. adeptus est, atque Annam Alberti Friderici ex Maria Eleonora Lul-
densi filiam in matrimonio habuit. Piascius chron. p. 274. Quamquam autem con-
tra primam inaugurationem in comitiis Lublinensibus anno c. l. l. c. LXIX. factam ob-
testati sunt Nuncii terrestres, et haud dubie eo digitem intendit Piascius, quando
tradit, Electorem Brandenburgicum quasi successioem spectasse, tamen postea diver-
sis ac non dubiis privilegiis ius hoc confirmatum, et misso in possessionem eius ducatus
Iohanne Sigismundo, reipsa atque opere anno supra millesimum sexcentisimum
undecimo est impletum.*

S. X. Cum Electores Brandenburgici hunc ad modum dominio be-
neficiario ac secura possessione Prussiae fruerentur, anno c. l. l. c. LXVII.
Fridericus VII. Wilhelmus, excelsio animo princeps, transactione Velaviae cum
rege regnoque Polonico inita, novo et memorabili exemplo supremum
eius ducatus imperium acquisivit, hoc iure atque titulo pro se et omnibus
maribus, quotquot deinceps ex familia Electoris recta serie descendunt, se-
paratim a Germaniae rationibus retinendum: (n) si vero iis omnibus ac
singulis quid humanitus eventurum esset, et tota adeo propago Electoris
praeter expectationem et contra vota omnium deficeret, statutum mutuo
consensu est, uti Prussia pristinae iuris beneficiarii conditionem reciperet,
atque ea lege ad ipsius agnatos rediret, tamdiu certo stabilique iure per-
mansura, usque dum stirps Marchionum Brandenburgicorum in rebus hu-
manis vigeat, ac habeat legitimos successores.

(n) *Vehementer errant, et vim actorum veritati adferunt, qui etiam pactionem
appellans Bambergensem, ut auctor maximarum statum Polonici Germaniae anno 1670.
edi.*

editarum; nibilo verius docent, qui transactionem Brombergensem nominant, ut Pacificus a Lapide in Monzamban. not. et strict. p. 51. Velaviensis enim dicenda fuerat ab oppido Prussiae, in quo XIX. Septemb. A. cl. lxx LVII. coaluit, nomen sortita, quae extat in tractatibus pacis Coloniae evulgatis; unde 1. conficio, masculos descendentes ex linea electorali ratione atque contemplatione primi acquirentis Friderici VVilhelmi veros ac legitimos supremi Prussiae ducalis imperii haeredes esse: 2. agnatis lineae sive domus Culmbacensis atque Onolsbacensis in casu deficientis lineae electorali postliminio futuros esse regis et regni Polonici beneficiarios, seu Vassallos ratione Prussiae ducalis, quam, si ad orbitatem redigeretur linea Electoralis, primo domus Culmbacensis, sive Baruthina et hac extincta, Ansbacensis obtineret. 3. excipie praefecturas Butoviensem et Lauenburgensem, quas elector ac haeredes successoresque eius iure pacti Velaviensis titulo beneficiario possidebunt. 4. isti pacto convento hanc legem a rege regque publica Polonica dictam esse, ut quaequam Prussia ex feudali facta est allodialis, tamen ideo Germaniae non accreverit, siquidem contractui Velaviensi ea lex data fuerit, ut elector non ratione imperii Germanici, sed ex alia causa, ac separatae civitatis iure supremum Prussiae ducatum obtineret: quam legem rex ac respublica Polonica dare non dubie poterant, quia penes utrumque tunc ius dandae huius legis erat, in quantum utriusque summum Prussiae imperium competebat, quod extincta in solidum familia electorali recuperabuut quoque, et redeunte ad agnatos dominio utili, recipient Prussiae dominium directum. Quaequam autem id ab initio legitime et a non domino sit acquisitum, tamen postero tempore praesumptione derelicti et longa possessione ac praescriptione temporis convalluit, ut regi rei que publicae alienandi supremi Prussiae imperii potestas esset. 5. Quocirca non facimus cum Philippo Andrea Burgoldensi notit. imp. pari. 1. p. 170. et Pacifico a Lapide in not. et strict. p. 51. qui opinantur, Prussia ducalem ab Electore Friderico VVilhelmo rursus imperio Germanico adiunctam esse. Iohannes VVolfgangus Textor de rat. stat. cap. 19. p. 631. non ita quidem audacter hoc affirmat, existimat tamen, aut saltem eo inclinat, ut putet, electorem teneri ad Prussiae Germaniae postliminio innectendam. Cuiusmodi denuo incorporandi, ut loquitur, obligatio haud difficulter per ea, quae diximus, convelli potest. 6. Quod alioqui pactum supremi Prussiae ducatus ad transversales non sit extendendum, facile ex formula eius liquet, quam adscribere hic non gravabor, ut fontes, ex quibus hos rivulos deduximus, in promptu habeantur, qui cuiusmodi sint, constabit ex sequentibus. Ducatum Prussiae iis finibus circumscriptum, quibus Serenissimus Elector illum olim iure feudi, ante hoc bellum exortum possidebat, ipse deinceps et descendentes eiusdem masculi, ex toto eius legitime procreati, indeque descendentes omnes, donec quisquam supererit ex descendentibus masculis suae serenitatis electoralis iure supremi domini cum summa atque absoluta potestate sibi habebunt, possidebunt, regentque.

absque omnibus antehac praestitis oneribus. Quamquam vero serenissimus Elector eiusque descendentes omnes masculi omni prorsus vasallagii nexu, quo hactenus regi et reipublicae Poloniae obstricti fuerunt, iisque omnibus, quae inde dependent, liberentur, non tamen perpetua feudi alienatio inde sequitur: sed deficientibus masculis ex praememorata linea legitima electorali descendentibus, serenissimis regibus et reipublicae Poloniae ius suum integrum in praefatum ducatum reservatur, et tali pacto praefatus ducatus a republica Poloniae non auelleretur, quae tamen reservatio interim ante casum existentem, iuri supremi domini serenitatis suae electoralis, eiusque descendendum nullo modo praeiudicabit. Promittit etiam sua regia maiestas tam pro se, quam successoribus suis, se in casu non existentium descendendum specialem habituros rationem agnatorum serenitatis suae electoralis, nimirum domus Culmbacensis et Onolsbacensis: et officia collaturos apud regni comitia, ut casu caducitatis existente, etiam illi alii praeferantur, et ad successionem praefati ducatus admittantur, sub iisdem feudi conditionibus et obligationibus, quibus antehac serenissimus Elector eiusque antecessores illum vigore investiturae possederunt.

7. Est autem inter agnatos Electoris successione proximus Marchio Culmbacensis, et si Electori haeredes masculi defuturi essent, Prussiam ducalem tanquam vacuum, sibi iure beneficiario, certe in electore Ioachimo Frederico per investituram acquisito, et subsequens temporibus ac novissimis pactis confirmato, debitam haereditatem aditurus: siquidem hoc pacto cautum sit, ut agnati, id est, suo quisque ordine, ad dominium ac possessionem beneficiariam Prussiae ducalis admittantur, neque liberum sit reipublicae, quae situm agnatione ius adimere, aut quoquo modo intervertere, sed id omne salvum acque integrum conservabit, quod agnatis,posito eo deficientium masculorum electoris casu, ut haereditibus postliminio feudalibus debetur. Nam hi non tanquam haeredes nexu beneficiario soluti, et tanquam sui iuris ac ut vocantur, allodiales, sed tanquam feudales succedunt.

9. Coeterum executioni huius pacti datum est annus supra millesimum sexcentissimum sexagesimum tertius, facta illius iurum, quod anno superiori quinquagesimo septimo datum imperitumque fuerat, die 12. Octobr. solenni declaratione, ut eius, cuius Prussiae rationis vasallus antea fuerat, nunc socius fieret atque foederatus, quod colligas ex his pacti Velaviensis verbis: quoties autem, finito hoc bello (Svedo-Polonica) novum aliud bellum contra Serenissimum regem ac rempublicam Poloniae orietur, sua serenitas electoralis eiusque descendentes (ex pacto, non dominio, qualem antea viguit) tenebuntur, 1500. pedites, et 500. equites regi ac regno Poloniae subministrare, etc.

10. De episcopo Scopatu Warmiensi quoque constitutum est, eo iure, quo antehac, possidendam esse, quod argumentum sit, nondum esse donatum iure seculi: uti id quidem cum rege Svedico conventum fuisse, non sine stomacho ipse conficitur Andreas Olshovskius cens.